
113733

Historia Scholarum
Vratislav. gymnas. Magdalenaeum.

Fechneri Joh. De Horis Exercitationes etc.
1666.



J. F.

DE HORIS EXERCITATIONES ORATORIAS ET POETICAS,

SOLENNI IN ACTU GYMNASII MAGDALENÆI,

Die 11. Novemb. hor. ab 8. matut.

recitandas

indicit

M. Johannes Fechnerus.

1666.

VRATISLAVIÆ,
In Hæredum Baumannianorum Typographiâ
exprimebat Joh. Chriſtoph. Jacobi.



Lecturis

Salutem, Observantiam, Amorem.

MEritò nos in summam rapit admirationem luculentissima illa Plinii Junioris narratio, quâ Marco (L. 3. ep. 5.) avunculi sui, Plinii Majoris, pertinacissimam in studiis jugiter exequendis industriam exponit. Sanè erit operæ precium ipsa florentissimi scriptoris verba cognoscere. *Erat illi,* ait, *acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. Lucubrare â Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causâ, sed studendi, statim â nocte multâ, hyeme verò ab hora septimâ: vel cum tardissimè,, octavâ, sæpè sextâ. Erat somni parcissimi, nonnunquam etiam inter ipsa studia instantis & desérentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem; nam ille quoq; noctibus utebatur: Inde ad delegatum officium. Reversus domum, quod reliquum temporis studiis reddebat. Post cibum æstate, si quid ocii, jacebat in sole, liber legebatur, adnotabat excerpebatq;. Tanta erat parsimonia temporis. Hæc inter medios labores urbisq; fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. In itinere quasi solutus cæteris curis huic uni vacabat. Ad latus notarius cum libro & pugillaribus.* Hæc ille domesticus oculatusq; tantæ diligentiæ testis. Quis jam ex istis, qui totâ vitâ libris adsident, huic litterarum, ut ita dicam, helluoni collatus, non quasi



somno

ſomno & inertiæ deditus erubeſcat? Næ omnes illi, qui ſtudioſi amant dici, ſi cum hoc in comparationem veniant, deſidioſiſſimi ſunt. Fatetur id de ſe ultrò, qui iſtam avunculi ſui inceſſabilem induſtriam memoriæ commendavit, Junior ille Plinius, Plinius, inquam, qui totos, ſi Martiali credimus, dies tetricæ Minervæ dabat, cujus orationes elaboratiſſimæ, quos in centum virorum conſeſſu aut frequenti in Senatu cum applauſu recitabat, non minus quam Demoſthenis ſermones lucernam olebant, qui non in urbe duntaxat, ſed & in ſeceſſu, ubi alii quieti vacabant & corpori, cujus fulturis animus ſuſtinetur, cum libellis loquebatur, ibiq; otium negocio pulcrius in muſæo vero ſecretoq;, quod multa ſuggerebat, multa dictabat, legendo ſcribendoq; ſuaviſſimè exigebat, qui in venatione quoq;, cum ad retia ſederet, non venabulum aut lanceam, ſed ſtylum & pugillares habebat in proximo & aliquid enotabat ac ſcribebat ſubinde, quod Tullianis quoq; chartis comparandum. Diſtringebant illum perpetuò aut publica, aut amicorum officia, in quibus tamen expediendis tempus parum benè ſe collocaſſe credebat, quod ſtudiis pauſam aliquam injeciſſent. Libet denuò viri diſertiſſimi ipſa reguſtare verba. (L. 1. ep. 9.) *Mirum eſt*, inquit, *quam ſingulis diebus in urbe ratio conſtet aut conſtare videatur, pluribus non conſtet. Nam ſi quem interroges: Hodie quid egiſti? reſpondeat, officio togæ virilis interſui, ſponſalia aut nuptias frequentavi: ille me ad ſignandum teſtamentum, ille in advocationem, ille in conſilium rogavit. Hæc quo die feceris, neceſſaria: eadem, ſi quotidie feciſſe te reputes, inania videntur, multo magis cum ſeceſſeris.*

 Tunc

Tunc enim ſubit recordatio; quot dies quam frigidis rebus abſumſi! Quod evenit mihi, poſtquam in Laurentino, meo aut lego aliquid aut ſcribo O incredibilem litterarum amorem! En Secundus noſter, exemplo domeſtico monitoq; avunculi excitatus omne tempus periiſſe arbitrabatur, quod ſtudiis non impertiretur. Negocia illa urbana & forenſia, præ litterarum elegantium tractatione frigida, imò ut ibidem ſubiicit, inanes diſcurſus & multum inepti labores illi videbantur, cum tamen iis non è vulgo homines, ſed civium præcipui, qui ad honores publicos adſpirabant, operarentur adſiduò. Grex enim Quiritium proletarius otio inerti maximam partem addictus, duas tantum res, ut teſtatur Juvenalis, (ſat. 10.) panem & Circenſes, anxius optabat, contentus, ſi ſportulam centum quadrantibus æſtimatam pro præſtito togæ officio a patronis, vel ex largitionibus congiariisq; Magiſtratuum & principum, oblatâ teſſerulâ, far in victum neceſſarium acciperet, ut alienâ ex liberalitate vitam colens ludis Circenſibus & amphitheatralibus ſpectandis citra omne negocium vacare poſſet. Nimirum his impenſiſſimè favebat: quod ulcus appoſitè exprimit Scriptor De cauſis corruptæ eloquentiæ, quem Lipſius (L. 1. Saturn. c. 7.) laudat. Sic enim iſte inter alia differit: *Jam propria & peculiaria hujus urbis vitia pænè in utero matris concipi mihi videntur, hiſtrionalis favor & gladiatorum equorumq; ſtudia, quibus occupatus obſeſſusq; animus quantulum loci bonis artibus relinquit? Quos alios adoleſcentulorum ſermones excipimus, cum auditoria intramus?*

Quor-

Quorſum hæc â nobis memorantur? Nempe ut juventutem lubricam ab otio inerti ad ſtûdia litterarum, ſtrenuè proſequenda, à ludicris, quibus oppidò delectatur, ad ſeverioris Hermathenæ negocia jugiter obeunda, admoto quaſi thyrſo, ſuſcitemus. Deprehendimus enim non paucos adoleſcentum, qui diſcendis bonis artibus ſunt conſecrati, deſidioſæ, operari Feſſoniæ, qui tempus ſtudiis melioribus impendendum rebus frivolis, ludis vaniſſimis, intempeſtivis ambulationibus, irreparabili cum damno, conterunt, ita ut ipſis Plinianum illud celeusma ſit occinendum: *Poteratis* (imò debebatis) *has ſaltim horas non perdere.* Quid, quod malè feriati iſti & diſcincti Nattæ, dum nihil agunt, malè agere diſcunt, Nam lurconum madidorum contubernio frequenter immerſi non tantum ſolidam de die, ſed & de nocte partem inter pocula rorantia peſſimè comburunt, creduntq; ſe florem illum ætatis vernæ deliciis fruendis idoneum perdidiſſe, niſi ſic perdidiſſent.

Quid igitur aliud nobis, qui formandis ad humanitatem animis adoleſcentum noſtram addiximus operam, incumbit, quam ut diſſolutam, corruptam & in effrenem licentiam effuſam juventutem omni virium contentione, omnibus dehortationum, objurgationum, caſtigationum adhibitis machinis, ê Circæis voluptatum latibulis, e ludo & luto nequitiæ, e putri Vacunæ ſinu eripiamus, ereptos ad frugem vitæ melioris ſedulò provocemus.

Quod ſi acribus nimis Pliniorum exemplis, aut aliorum ex auſterâ illa ſapientum antiquorum tribu, quorum

 inde-

indefeſſum ſtudium ſerie prolixâ recenſet Valerius, (L.8. c.7.) non ſunt urgendi, ſi ad noctes Atticas inter lucernas vigiles exigendas non ſunt vocandi, ut viſum Mitionibus, qui homines adoleſcentulos malacum in modum tractandos cenſent; vocandi tamen ſunt, ut cum Tullio (2. Tuſ. qq) dicam, ad clepſydram, ut nullam diei horam otioſam elabi patiantur, ut ὡραῖα ὡραίως & quævis ſuo agant tempore, quod ceu theſaurum precioſiſſimum rebus frivolis abſumere non debent.

Cum verò exempla ad movendos animos plurimum valeant, cur potius homines nauci nihiliq; ſpectant, quam viros omnium ordinum, dignationum, officiorum conſummatiſſimos, qui tempus exactè diſpenſant graviſſimisq; impendunt negotiis? Nihil in Eccleſiâ, nihil in Republicâ agitur, quod non ſtatis diebus, ſtatis horis agatur. Ac ne extra ſcholæ parietes latius evagemur, nonne docentes pariter & diſcentes operas noſtras præſtitutis obimus horis? Monent hoc horologia Reipublicæ apud nos benè ordinatæ ſigna clariſſima, quæ aures nobis ſubinde vellunt & ſuggerunt ſolenne illud veterum mnema: *Hoc age.* Monent clepſydræ, vel ut novo pro re natâ dici poterunt vocabulo, clepſammidia, præſertim illud, quod in ſuperiori Gymnaſii noſtri auditorio e regione cathedræ ſuſpenſum illuſtrem hanc oculis noſtris legendam exhibet epigraphen: *Fugit irreparabile tempus.* Monent deniq; ſolaria vel ſcioteria, imprimis emblematicum illud & affabrè effictum, quod in Nummo Senatorio, qui in Actibus ſolennibus adoleſcentibus, qui ſpecimina in-

duſtriæ

duſtriæ ediderunt, tribui ſolet, memorabili hoc inſignitum eſt Lemmate: *Nulla hora ſine lineâ.* Hoc ipſum dignum omninò mihi viſum, ut in Actu ſolenni, qui jam examine publico pronuper exacto mihi adornandus, Suadâ pleniori explicaretur. Sic enim Magnifici Senatus inclytiſſimæ hujus Reipublicæ voluntati ſatisfactum iri exiſtimavi, ſi juventus ſcholaſtica tam congruâ occaſione oblatâ tempeſtivè ad ſtudia ſedulo continuanda excuſſo ſuſcitaretur veterno.

Quod cum Die craſtino horis antemiridanis, Deo clementer indulgente, exequi meditemur producturi adoleſcentes puerosq; delectos, qui ſermones de tempore, præſertim verò de Horis rectè diſpenſandis habebunt & recitabunt, *A Vobis Viri Magni, Clari, Docti, Boni, ſtudiorum liberalium Patroni ſubmiſſiſſimè venerandi, Fautores enixè honorandi, eâ quâ par eſt obſervantiâ & contentione petimus, ut ſi a gravioribus negociis aliqua vobis conceſſa fuerit pauſa, indicto cras tempore ad Gymnaſium noſtrum viſere & declamatores recitatoresq; noſtros mente benignâ audire dignemini.* Equidem non habeo promittere vobis Plinianum aut Tullianum eloquentiæ apparatum: cognoſcere tamen erit exercitium latinitatis â diſcipulis hiſce noſtris, qui ad dicendum prodibunt, non fuiſſe neglectim habitum, id quod graviſſimo æquiſſimoq; judicio veſtro explorandum ſumittunt, Numen ſupremum mecum rogantes, ut vos omnes & ſingulos incolumes incolumi cum Republica conſervet. P.P. Anno reſtitutæ per Chriſtum ſalutis 1666. die 10. Novembr. quo olim A. 1604. in lucem editus & ſuſcepto ſancti baptiſmatis ſacramento Eccleſiæ Chriſti fui inſertus.

Pro-

Producentur,

I. *Adolescentes & exiis*

1. Declamaturi

1. Soluto sermone

1. *Johannes Rungius Wratis. evoluturus Lemna NumismatiSenatorio, quodpræmii loco distribuendum, insertum:* Nulla Hora sine lineâ.
2. *Andreas Schüllerus Steinovia-Silesius, expositurus Mnema Clepsammidio Primi Ordinis inscriptum:* Fugit irreparabile tempus.
3. *Johannes Reinholdus Baussius Hallensis Saxo, explicaturus Aphorismum Hippocratis:* ὡραῖα ὡραίως.
4. *Christophorus Fribenius Landshutta-Sil. eundem Aphorismum Græcâ oratione enarraturus.*

2. Vincto sermone, commendaturi 4. Anni Horas seu Tempestates.

1. *Ver, Casparus Neumannus* Wratisl.
2. *AEstatem, Gotofredus Steudnerus Gryphorinus Sil.*
3. *Autumnum, Johannes Albertus Crantzius Leorinus Sil.*
4. *Hyemem, Gotofredus Büttnerus Leorinus Sil.*

2. Collocuturi seu formâ Dialogi disserturi de Horis specialiter sic dictis i. e. de partibus diei, nec non horologiis & quidem sub personâ

1. *Theologi, Christianus Herrmannus Namsla-Sil.*
2. *Chronographi, Johannes Ernestus Güssovius Dracomontio-Sil.*
3. *Politici, Adamus Sigismundus* Scholtz, *Wratisl.*
4. *Poetæ, Georgius* Neukirch *Lesna-Polonus.*

II. *Pueri recitaturi,*

1. Descriptiones metricas & variatas 4. anni horarum sive tempestatum quæ in calce oper. Virgil. leguntur,

Gottfried Heidenreich *Olsnensis,*	*Christianus Exnerus Cuprimont.*
David Gräbner *Wratisl.*	*Jeremias* Scheibel *Wrat.*

2. Gnomas de Tempore selectas ex Statellitio virtutum Ludovici Vivis,

Esaias Sauer *Wratisl.*	*Christianus* Scholtz *Wrat.*
Christoph. Gottfried Weltzel Wrat.	*Samuel Prætorii in* Rayßke *Herod.*

His auditis Præmia Magnifici Senatus, præmisso brevi de Horologiis carmine à brabeutâ tribuentur.



